

nostri (cuius quippe modum antefatus comes a Schlik proponere non intermittet) omnino satisfiat, adlaborare et efficere debeat ac teneamini. Gratia in reliquo nostra caesareo-regia vobis benigne propensi manentes. Datum Viennae, die 5. mensis ianuarii 1702.

Comitatibus Pest Pils Soldt committitur ut contra praedones comitem Marsigli spoliante in inquisitione generali comiti a Schlik commissa assistant et satisfactionem impendant.

In simili comitatui Békesiensi.

Manu aliena: Fronto, manu propria.

*A tergo*: 8.

Comitatibus Pest Pils Soldt et Békesiensi committitur, ut contra praedonens comitem Marsigli spoliante in inquisitione generali comiti a Schlik commissa assistant et satisfactionem impendant.

Originales in archivo Regni Hungariae, Budapestini, sub signatura: Conc. Exp. N. S. ex ianuar. 1702.

19.

1702. maggio 2. Vienna.

*Leopoldus I. rex Hungariae ad intimationem consilii bellici comitatui Pestensi iniungit, ut generali Marsili de damnis per latrones illatis iuxta resolutionem regiam satisfacere debeat.*

Leopoldus etc.

Reverendi honorabiles spectabiles ac magnifici necnon egregii et nobiles prudentes item ac circumspecti fideles nobis dilecti. Apprime vobis constare non ambigimus, qualiternam anno 1699, iam praeferito fidelem nostrum nobis dilectum spectabilem ac magnificum comitem Marschigli, generalem campi vigiliarum praefectum, dum videlicet is a Karlovicziensi pacis congressu huc Viennam expeditus extitisset, in itinere nonnulli praedones in hocce comitatu vestro Pestensi latronum more invaserint, ipsummet vulnerarint, cocium vero eiusdem ictu plumbeae glandis interfecerint, eundemque comitem Marschigli cum servis suis rebus omnibus ad quinque millia triginta et tres florenis ab eodem aestimatis exspoliaverint et iuxta benignum mandatum nostrum illico post factum reos, pro sumendo de iis debito supplicio inquirere huic comitatui Pestensi commissum sit eorumque porro aliqui deprehensi et partim (quos inter et author erat) in flagranti, cum sponte se dedere noluerunt, trucidati, partim autem judicialiter quidem examinati, a praelibato vero comitatu erga mulctam quandam pecuniariam denuo absoluti, exindeque postulata serio injuncta satisfactio fuerit elusa, donec elapsa hyeme Aradini supradictorum complex unus ex alio licet spolii capite, penes quem vasa